

REVERENDISS: PIETATE,  
virtute, eruditione nobili,  
rerum usu clarissimo, *ZL 1690*

D N. AUGUSTINO

*W*IDERINO AB OTTERSBUCH,  
SS. Theologiae ac Philosophiae Doctore ex-  
cellentiss: Sacri Palatii Lateranensis, aulae, Caesarea,  
ac Imperialis Consistorij Comiti; Collegiatae Ecclesiae  
BUDISS: AD DIVUM PETRUM DECANO,  
cum ex clementiss: S. CAESA: MAIESTATIS  
decreto solenni inaugura: Augusti 9. Anno 1609.  
per sua Majest: delegatos commiss: Episcopatus Mis-  
nensis per Superiorem & Inferiorem Lusatiam Ad-  
ministratores declararetur, fausta acclamationis debi-  
ta observantiae & memoris gratitudinis ergo,  
Prelato suo summe colendo  
dicabant.



BUDISSINÆ  
EXCUDEBAT NICOLAUS  
ZIPSERUS.

M. DC. IX.

REVERENDISSIMO: PLEBANO

et

Canonico

DOMINI AUGUSTINO

Ordinis S. Augustini

et

Canonico

et

Canonico

et

Canonico

et

Canonico

et

Canonico

REVERENDISSIMO

EXCELENTISSIMO

M. D. C. LXXV





# DIVUS AUGUSTINUS OLIM

IN AFRICA EPISCOPUS HYPP:

SANCTISS: AD REVERENDISS: AUGUSTINUM

WIDERINUM AB OTTESBACH,

*SS. Theologiae Doctorem & Comitem Palat: &c.*

*Administraturam utriusq; Lusatiae*

*ineuntem, &c.*



Divorum socios inter mentesq; beatas,  
Dum lætus resono carmina sacra DEO.

Intentus numen Patris & dum pneumatis almi

Mystica perpendo vulnera CHRISTE necis.

Mox video vultu patres properare corusco

Undiq; me versus corripiendo viam.

Vocibus æthereis promentes talia dicta;

Est res præcellens numina sancta coli:

Ejus & in summas sese diffundere laudes

Sic decet, & pietas poscit id ipsa DEI.

At sed grata mage est CHRISTO cunctisq; beatis

Res, spectare hominum fervida facta piùm.

Illis sacratas animo inspirare loquelas,

Dæmona quo valeant exuperare ferum.

Devictoq; queant Erebo fælicius arcis

Scandere felicitis mœnia sacra poli.

Haud est exiguus numerus quos gloria CHRISTI


Ac amor extimulat relligioq; sacra.

Quos micat ante alios patres ardentior unus,

Eximium referens integer ore decus.

En gerit humano cœlestia pectora vultu,

Observant reliqui quem gravitate viri.




Quos inter celfos graditur doctiffimus omnes  
Quem nivea cernis tendere vefte virum.  
Gentis Lufatiæ cujus diffusa per urbes,  
Acrior exurgit fama decusq; novum.  
Quiq; tua generofus habet de nomine nomen  
Mente, daturq; illi celfus honoris apex.  
Indole nec quisquam nec qui illum vincere poffit  
Divitis ingenij dotibus ullus adefl.  
Linque polos folitoq; gradu per climata lapfus  
Ingredere augufus limina facra domus.  
Dic fummo quàm grata DEO fit cura falutis,  
Quem virtus folio candidiore locat.  
Præfulis edoceas facri folamina quanta,  
Ejus qui Divûm primus ovile capit.  
Qui fpinis animos & quas ad devia traxit  
Error conatur folvere Paflor oves.  
Sit femper conflans, dic impenetrabile pecltus  
Confervet; quamvis tartara nigra fremant.  
Donec perpetuos nobifcum tranfigat annos:  
Donec percipiat regna beata poli.  
Vix ea dicta patres læta mihi voce dedere;  
Nec mora me Divûm linquere tecta decet;  
Per variosq; poli greflu contendere tractus  
Et luftrare juvat climata vafra foli.  
Ergo age AUGUSTINE pater digniffime Præful  
Exulta, lætus gaudia mente fove.  
Exiliant hilari plaufu præcordia mæfla  
Fauftum, dent fonitum barbita, plectra, chelis.  
Nuncius en cœli veni de limine miffus,  
Ut doceam noflris firmiter ire vijs.

Officium




Officium nomenq̄ tenes communia nobis,  
Utq̄ unum fas est progrediamur iter.  
Me D E U S exemit cæcatum hæresibus atris,  
Imbuit & Divi religionè Petri.  
Per varios ego sic casus per mille pericla  
Jactatus, tendens Affrica testis adest  
Afflictus pulsus repetito pulsus & actus,  
Hæc sæclis cunctis pontus & astra canent.  
Officij data jussa mei devotus obivi,  
Insidias, risus, probra, crucesq̄ ferens.  
Tu ratione modoq̄ pari sectatus honestum  
Inclita continuò mænia lætus adis.  
Romulidum, pietatis amans & conscia veri  
Ardens, conatu limina sacra petis;  
Scilicet ut lustres diversi climatis urbem  
Hetrusco ut discas verba referre sono;  
Catholicæ in tenero doctrinæ ut semina condas  
Olim quæ promas pectora Lusatijs.  
Addecet hæc natos præclaro stemmate cura,  
Queis credet quondam munera sacra D E U S.  
Me D E U S imbutum divino pneumaticis æstu  
Hipponi voluit pandere sacra rudi.  
Te sibi Doctorem delegit Lusata tellus,  
Quem penes esse cupit religionis onus.  
Cunctis ut referes veræ præcepta salutis,  
Quò crescant fausti germina sacra D E O.  
Multis in casum, multis ut surgere possint  
Es positus populis ô W I D E R I N E pater.  
Corruat impietas; pietas sed sacra refurgat;  
Hæc cœlos, illa ast tartara nigra petat.




Interea quamvis veluti mihi dirus avernus,  
Adversis semper faucibus obstrepuit.  
Quo raperet teter miseros phlegethontis ad undas  
Adversum te sic bellua tristis erit,  
Obsistetq̄ tuis semper contraria factis,  
Conatu infausto se rabiosa gerens.  
Has pestes facili prudens vitabis; amicos  
Si statues sacros semper habere pares.  
Celsam ne capiat mentem torpedo, labore  
Absq̄ pio nullum tempus abire sinas.  
Sunt tua sunt nostris communia plurima rebus,  
Zelo so nisu quæ reparare decet.  
Surgat opus lapsum, fragranti ferveat æstu,  
Desidia turpi quod perijisse potest.  
Infaustum fucos pecus à præsepibus arce,  
Ne rapiant dulcis mellea dona favi.  
Ne metuas tibi *Christus* adest, tibi numine promptus  
Adstat, nil Dæmon, nil phlegetonta valent.  
Excandet Sathanas technas cribrare paratus,  
Sed *Christus* semper proteget ipse suos,  
Hei licet atroces portæ ringantur averni,  
Haud poterunt unquam prævaluisse tamen.  
Et quamvis paulùm *Christus* dormire videtur,  
Exclama, nam vult evigilare statim.  
Cernis ut hæreseos stygijs fex nata lacunis,  
Turgescit demens res odiosa D E O.  
Æternum junxit turpis cum Dæmone fœdus,  
Ascivit lætum heû interitumq̄ sibi.  
Viribus ut junctis homines in averna subactos,  
Res indigna nimis præcipitare queant.

Ut



Ut leo magnanimus furiarum percitus æstro,  
Defævit rugiens extimulante fame.  
Dente tamen sævus nunquam profternet adunco,  
Pastor oves servet si vigil ipse suas.  
Ergo onus ambabus Præsul complectere palmis,  
Ne fuge, sed constans prælia sacra cie.  
Suspice quanta cohors toto micet aurea cœlo,  
His peperit cunctis hoc pietatis onus.  
His peperit durus cunctis labor ecce salutem,  
Tristia post lætus nubila phœbus adest.  
Aspice quem *Christus* populum, quod ovile regendū  
Commisit, studij quæ data cura tibi.  
Cernis ut afflictas tendunt ad sidera palmas,  
Teq̄ petunt cuncti, ferto benignus opem.  
Ut trepidant gelida pavidi formidine pectus,  
Ingeminantq̄ tuum fletibus auxilium.  
Discute terrorem hunc illis & pectora firma,  
Ut metuant alacres nulla pericla viri.  
Tu stabulis prohibeto lupos, prohibeto leones,  
Agnos ne valeant dilaniare, tuos.  
Hærescos furiosa repellas agmina fælix,  
Quæ populo infonti dira nocere student.  
Suspice quam discerpta genas Ecclesia mœsto  
Singultu, deflens pectus & ora rigat.  
Emittit quantos luctus penetralibus imis,  
Et quanto fletus proluit imbre genas.  
Eructat questus tristes singultibus imis,  
Deploratq̄ decus disperijſſe suum.  
Ecce tuam pansis manibus lachrimisq̄ subortis  
AUGUSTINE pater provida poscit opem.


Tu



Tu sponsæ miserere D E I non digna ferentis,  
Collapsis rebus subveniasq̄ vigil.  
Tu potis afflictis unus succurrere rebus,  
Terris & priscam restituisse fidem.  
Collapsos hominum revocare ad pristina mores,  
Tu potis es nobis aurea secla dare  
Te sibi B U D I S S Æ clarum sacra turba D E C A N U M  
Deligit ante alios constituitq̄ viros.  
Te populi multi gentesq̄ per oppida multa  
A U G U S T I N E pater concupiêre Ducem.  
Nec frustrâ spes est nobis certissima Præsul,  
Gloria confurget te W I D E R I N E Duce  
Templorum, sævo cernis quæ vortice mersa  
Errorum, vitijs flagitijsq̄ jacet.  
Perge pater cæptis D E U S ipse favebit amicus  
Terris ut redeat gloria, priscus honor.  
Nec labor immensus nec sæva pericula mortis  
Conturbent animum deijciantve tuum.  
Quo magis atroces confurgent murmure pestes  
Tu magis è contra promptior ibis ovans.  
Quanta mihi semper fuerit constantia nosti,  
Quare constans animus rebus in ambiguis.  
Intonet aura minax tristis rumpatur & orcus,  
Stent invicta tamen pectora clara tibi.  
Et veluti durat constans Marpesia cautes;  
Sic W I D E R I N E unquam removeare loco  
Stet constans virtus mens imperterrita duret,  
Sit pietas cordi relligioq̄ tuo.  
Ardor te teneat fratrum & sacra cura tuorum,  
Sit concors animus, crescet amore decus.

Parcere





Parcere subjectis laus est clarissima posse,  
 Offensasq; animo non tenuisse diu.  
 Vivas, ut feci sic fac tutissimus ibis,  
 Cætera crede uni quæ graviora D E O.  
 Subveniet mœstis, tristes solabitur artus,  
 Omnia quo superes, teq; juvabit ope.  
 Et tandem cœli scandes, quo tendere curæ est  
 Instructus monitis, me præcunte plagas.

GEORGIUS CUCULUS CANONICUS  
 Budiss: Crostiniensis Lusatiæ.



A L I U D.

**C**uncta D E U S justè miranda ut lege guhernat,  
 Sic nostras miro versat in orbe vices.  
 Deicit hunc subito, nec mirum, extollit & illum;  
 Namq; jubet fieri quæ placuère sibi.  
 Præteritis hinc nunc perpaucis sorte diebus  
 Hac cerni nostris fata dedere oculis.  
 CHRISTOPHORUS clara cretus de stirpe BUDISSÆ  
 BLÖBELIUS fati funere mersus obit.  
 Qui patriam prudens divina luce regebat,  
 Conditus en patrio nunc jacet ipse solo.  
 His actis Reverenda cohors spoliata D E C A N O,  
 Ad cælum gemitus fudit ab ore pios.  
 Da pie CHRISTE tuum Clero, da CHRISTE juvamen;  
 Nec patiare tuum dilaniare gregem.  
 Grex dispersus habet multum mæroris, iniquæ  
 Ob casum mortis, nec finit esse modum.  
 Defunctum deflet, deflet misereq; peremptum  
 Ad tumulum D O M I N U M dum videt ire suum.





*At DEUS invictus lachrymis est victus, Olympo  
Promittens promptum tristibus auxilium.  
Et pius ad maestam nitido fulgore phalangem  
Desuper apparens talia verba dedit.  
Subvertent Petri fluctus non aquoris unquam  
Naviculam, ethererei vela secunda dabunt.  
Insurgant quamvis socij Plutonis & orci  
Centimanusq; gygas; stat sine labe tamen.  
Substituto vobis W I D E R I N U M Presule dignum  
Lusatia florem, Zechiadumq; decus.  
Hic modo defuncti vestigia calce D E C A N I  
Calcabit, verè fidus athletaq; erit.  
Viventes cuncti claro sub sole diei  
Carminè dulcisono tollite ad astra manus.  
Quod vobis liceat tanto sub Presule vitam  
Ducere, ubi pacis candor amorq; viret.  
Ad te confugimus demisso poplite Presul,  
Esse tui cupimus, tu quoq; noster eris.  
Nil W I D E R I N E aliud nosti nisi justa pacisci,  
Infontes clemens suscipe jure viros.  
Augustine Ducem sequimur te cunq; locorum,  
Nos nutu summi jusseris ire D E I.  
Ergo Pater patriæ Presul dignissime nostra  
Delubri nostri gloria, fama, decus.  
Vive dies letos, Mystarum cura tuorum,  
Sentiât atq; tuam semper egenus opem.  
Agnorum C H R I S T I fidus sis pastor in orbe,  
Ut C H R I S T I fias agnus in arce poli.*


N I C O L A U S T R I T Z S C H K I U S

Oculus Decani.

ALIUD.

A L I U D.

**V**enit ab occiduis Prudentia finibus Aſta  
 Cui fuit à dextris librans æquiſſima lancem  
 Juſtitia, armipotens latus eſt comitata ſiniſtrum:  
 Heroinæ omnes mortali haud principe natæ.  
 Prima ſed illarum pura, vigilanteq; mente  
 Talibus ad divas Prudentia vocibus uſa eſt:  
 Diſpiciat tandem Numen venerabile cuncta  
 Quæ tenet hic mundus, magnorū machina Divūm,  
 Non erit horribilis mortalibus improba peſtis,  
 Nec fremebunda graves agitabunt corda tumultus  
 Sed pacata quies toto florebit in orbe.  
 Eſt Urbs Luſatiæ, multas memorata per oras,  
 Nomine Budiſſam quondam dixere priores.  
 Gens illic devota Deo, ſacrisq; dicata  
 Præſule de vigili cura flammante laborat,  
 In varias partes nunc huc nunc fluctuat illuc,  
 Enixæq; cupit ſacræ præponere ſedi  
 Inſignem pietate virum, probitate micantem.  
 Excubias qui Paſtor agat, ne turba luporum  
 Sanguinolenta gregem mordaci dente prehendat.  
 Qui juſ, qui ſacras leges, conſultaq; patrum  
 Servet, tūm vita ſcleris ſit neſcius atri,  
 Quiq; ſciat ſervare modum, finemq; tenere,  
 Luſatiæ ut clarum nomen poſt fata relinquat.  
 Talis erit gentis Præſul, Rectorq; ſacrata,  
 Juſtitia cultor, nitidi ſervator honeſti,  
 In commune bonum magno qui flagrat amore.  
 Talia cum teneris Prudentia comta corollis  
 Fata fuit, ſic deinde potens Aſtræa ſecuta eſt:



Nympha ego nata polo, quæ servantissima recti,  
Innumeras soleo gentes frænare per orbem,  
Parcere subjectis, & debellare feroces.

Prima rebellantes duxi sylvestribus antris,  
Deterfiq; rudi fluitantia sæcula victu,  
Institui cætus hominum, docuiq; tenere.

Me duce stant leges, stant & mandata Tonantis,  
Agrestes abeunt animi, sensusq; ferini,  
In mea castra venit fraudes quicunq; dolosas  
Detestatus, amat vitæ sine labe tenorem;  
Rebus in humanis per me bona plurima regnant,  
Nec crudelis ego licet hæc sint murmura vulgi.

Ergo ea quæ docta Prudentia voce locuta es  
Indubitata manent nobis? Sed lumina quorsum  
Nostra velint capias, hæc & mea figito dicta.

Fert AUGUSTINUS titulos WIDERINUS honoris  
Primos, (crede mihi) clarus virtute, fideq;  
Conspicuis pietate nitens, à flore juventæ,  
Fælices tales quinam genuère parentes.

Jam pridem sedes hæc illum sancta manebat,  
Nacta salutifero tandem de vertice cœli,  
Floreat & vigeat longas hoc Præsule aristas.

Hæc dum justitiæ sonuère gravissima verba,  
Grandia quæ aggreditur vivax discrimina virtus,  
Fortes à forti profudit pectore voces:

Est infracta mihi dubijs vis, atq; potestas  
Rebus, præstanti soleo discrimina corde  
Multa pati, & varios rerum tolerare labores.

Fælices illi qui ferre incommoda vitæ,  
Et portare jugum vitæ didicère magistrâ.

Vivat



Vivat WIDRINUS divino munere Præsul,  
Fortiaq; adversis opponat pectora rebus.  
Ille mea est cura, est & flagrantissimus ardor.  
Non mala confringent, non hunc felicia tollent,  
Ipsa licet moveat ventosa superbia contra  
Castra sua, & tortis etiam caput efferat altum  
Crinibus, ipsa licet petulans audacia surgat,  
Iraq; & insanus stygio de gurgite livor:  
Vivat WIDRINUS divino munere Præsul,  
Et post fata petat stellantia regna polorum.

A L I U D.

**E** Cquid tam varijs ad nos properatur ab oris,  
Vastus ut Hemathylaude feratur ager?  
Vt Trivia templum spectent, ut Caesaris arces?  
Vt pascant oculos Mentoris arte suos?  
Fallor: iter peragunt claro sed honore DECANI  
Præcunctis unum ut te WIDERINE beent.  
O nimium felix, cunctisq; beatior unus,  
Laudes magnificæ cujus in orbe virent.  
O fortunato nimium sub sydere nate,  
Laus cujus nulla est emoritura die.  
Inclita fama tua hæc semper, dignissime Præsul,  
Crescet, dum volvet nobilis Ister aquas.  
Illa tibi virtus, & honor laus famaq; vivent,  
Cum dabit exitio quæ vagus orbis habet.  
Ergo vive diu, & clara virtute paratis  
Laudibus oblecta teq; tuosq; Vale.

JOANNES HASIUS VICARIUS  
& Coadjutor apud S. NICOLAUM.



ACCLAMATIO.

**F**EN invidendis clarus honoribus  
Assurgis, & te CÆSARIS inclyti  
Illustriorem dant labores,  
Maecte novis titulis *WIDRINE*.

Audeto: festis rumpe silentia  
Metris: honores Musa modos modò  
Gratata nostro duc *WIDRINO*,  
Innumeros numeros merenti.

O te beatum Magne? vocaverim  
Recte beatum, rectius occupas  
Nomen beati, quam, quis ille,  
Gemma cui dedit esse Regem.


Virtus tenebris nescia contegi  
Fœcunda magnis semper honoribus  
Tollit te in altum, datq; magni  
CÆSARIS officijs verendum.

Deprensa quippe est prisca tuo Fides  
Fixisse sedem pectore, cum Fide  
Quicquid decorum, pulchrum eodem  
Unanimi subjisse gressu.

Mox ergò felix in Capitolia  
Augusta summi CÆSARIS additus  
Insignis insignes capessis,  
Auspicibus superis honores.

Nunc iustura lætus Deucalij DEI  
Duc, quemq; virtus protulit inclyta  
Fructu beatus perfruare,  
Maecte novis titulis *WIDRINE*.

QUID



QUID MIRUM SI IN ALTUM  
ascendat ardua egressus ?

Magnos Roma suis quondam decrevit honores:

Gesta tamen cuius res quoq; magna foret.

Nam nisi militia quis clara, domiq; patrasset,

Semper ei clausum limen honoris erat.

Post exantlatos infracto Marte labores

Culmen ad imperij tum patuere via:

Hinc Regni fasces, hinc purpura, sceptrum, secures

Cepit, & his majus si quid in urbe fuit.

Ergo quod inclinet, mirer, tibi sceptrum Decane?

Dura supergressus qui fuit, alta petit.

GREGORIUS MARCUS KHATTMANNUS  
à Maurugk Budissinensis Logices stud.



FINIS.

Zd 1692 OK

QUID MIRUM IN ALIUM

ascendat arduus ceteris ?

Magnus Romanus in honore  
Gesta tantum cunctis quos magna foret  
Nam nisi militis pars clara, domus pariter  
Semper ei clarum limen honoris erat.  
Post exantillatos in fracto A parte labores  
Culmen ademptum tunc patere vix  
In regni fastos, sine purpura, sepe  
Cepit, et bis, nisi quid in urbe fuit.  
Ergo quod in hunc, mirer, tibi sepe Decanus  
Dura suorum, ista qui fuit, alia petis.

GREGORIO MARCO KHATTMANUS  
a. 1692



F 1 2 1 2

m.c






REVERENDI  
 virtute, er  
 rerum

**D N. AU**

*W*IDERINO  
 SS. Theologiae ac  
 cellentiss: Sacri Palatii  
 ac Imperialis Consistorii  
 BUDISS: AD DIVINUM  
 cum ex clementiss: S. C. C.  
 decreto solenni inaugura  
 per suae Majest: delegat  
 nensis per Superiorem  
 ministrator declararet  
 ta observantia & m  
 Pralato su  
 di



**BUDI**

EXCUDEBA  
 ZIP

M. D

